



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XII. Et sanitas animi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

minentes metuenti, ait: *Vide, ut fileas, noli timere à duabus caudis titionum fumigantium istorum.* Quid omnia sunt huius vitæ terriculamenta, quàm fumosi titiones, uno disflandi spiritu, uno pedis impulsu proterendi, unius guttulæ aspergine extinguendi, cum Deus voluerit? Idcirco idem Vates monuit, ut speremus in Domino Deo forti in perpetuum: nulla nos hora, momentum nullum, fiducia suavisimæ ac fortissimæ providentiæ destitutos inveniat.

XII. *Et sanitas animi.* Fontes duos attigimus beatæ tranquillitatis: primus profluit intrinsecus, alter affluit extrinsecus: ille existit ex desideriorum moderatione ad regulam divinæ voluntatis: hic oritur ex fiducia protectionis divinæ, quæ hominibus, sese Deo permittentibus, deesse non potest. Siracides, Eccl. c. 30. dicebat, *Non est census super censum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium.* Sanitate corporis bonum inter corporea majus nullum est. *Valdè vellet, inquit Augustinus Serm. 12. dives letis.*

Num argenteum mutare cum pauperis cilicio, si aegritudo posset migrare cum lecto. Et Serm. i. de diversis: Quando hanc habet, quid deest pauperi? Quando istam non habet, quidquid habet quid prodest diviti? Quid tamen ista sanitas, communis homini etiam cum draconibus & vermiculis, ut ibidem ait Augustinus, præ gaudio cordis animique sanitate? Corporis sanitas in recta humorum temperie, & membrorum consonantiâ, sita est: animi valetudo consistit in contemperatione affectuum, & dispositione voluntatis Deo obtemperantis, appetitui imperantis. Hoc autem ipsum est, hominem esse bonæ voluntatis. Itaque istiusmodi hominibus proprium peculium est gaudium cordis, sanitas animi, tranquillitas mentis. Vel nusquam in hac mortali vita pax vera inveniri potest: vel ab illis in solidum atque imperturbatè possidetur: ab aliis tam frustra quæritur, quàm pisces in silvis, in mari feræ, ut Boëthius aiebat.